

permittatis, sed consurgentes omnibus sententiis condemnatis: sin autem multo meliorem virum quam hic est, et ex melioribus ortum parentibus et, ut nequid odiosius dicam, me ac meos non inter postremos esse et sentitis et scitis, profecto ne in ceteris quidem ei fidem habere debetis, ad eundem modum, ut palam est, eminenti, in me autem quam benivoleutiam antehac multis in litibus ostendistis, eam nunc praecipue ostendere. Veterator Aeschines, stolide tamen tibi promiseras me, relicta actorum gestorumque meorum relatione statim ad tua conviciâ prorupturum. Non faciam istud, non sic impotens sum, sed ea quae publice gessi, quae tu calumniator in crimine ponis, persequar, de tuae vero linguae impudentissima procacitate, si audientibus liberit, postea videro.

Multa quidem et gravia sunt, viri Athenienses, genera delictorum, de quorum nonnullis leges iubent magna sumi ac postrema supplicia; at ea quae in hac causa obiecta sunt, affectum quendam inimici exhibent propensi ad dicacitatem, convicium, contumeliam ceteraque id genus: quamquam si vera etiam crimina obiicerentur, non tamen continuo civitati liceret parem poenam ac ne imparem quidem a me expetere, cum fas non sit nec reo auferri facultatem pro causa sua agendi ad populum orationemque habendi, nec accusatori concedi

*Fol. 4 v.* non accusatorio iure deferre sed per odium livoremque id agere, quod est me hercule, viri Athenienses, iniquum et incivile praeterque aequum et bonum. Nam si me tantopere intelligebat laesisse rem publicam, ut modo tragoedias movens enarrabat, cur non rei publicae laesae accusavit? si quid delatione dignum commisisse, cur non detulit? si quid in scribendo deliquisse, cur non falsi crimen intendit? Absurdum est enim in locum Demosthenis invadere Ctesiphontem; nam si [in] me impetum facere se posse arbitraretur, mihi credite, hunc numquam invasisset. Etenim ex omnibus, quae vel retulit in vituperationem meam vel referre potest, si quid norat, in quo vos ego laesissem, sunt actiones, iudicia, leges, quae graves et atroces irrogant poenas: qua ratione uti si iste voluisset, consentanea esset ipsius factis accusatio. Nunc omissa recta via atque legitima, quippe qui tacuit, quando res ipsa poterat facere fidem, tanto post temporis intervallo non accusator est, sed agit accusatorem, inculcans iurgia, maledicta, convicia. Et me quidem reum facit, Ctesiphontem vero damnari vult, et cum in omni sua actione odium mei prae se ferat, mecum tamen omnino congrédi recusat,